

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Phaedri Avgusti Liberti Fabvlarvm Aesopiarvm Libri V.**

**Phaedrus**

**Rintelii, MDCCXXXVIII**

**VD18 13044567**

Fab. VI. Aquila, Cornix, et Testudo.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-17134**

num isti exprobrans studium; nihil, inquit, profecisti; et tanti est tua opera apud me, ut alapae multo etiam maioris veneant.

FAB. VI.

*Aquila, Cornix, et Testudo.*

Contra potentes nemo est munitus satis:

Si vero accessit consiliator maleficus,

Vis et nequitia quicquid oppugnant, ruit.

Aquila in sublime sustulit Testudinem:

Quae cum abdidisset cornea corpus domo, 5

Nec villo pacto laedi posset condita:

Venit per auras Cornix; et propter volans,

Opimam sane praedam rapuisti vnguibus,

Sed nisi monstraro, quid sit faciendum tibi,

Graui nequicquam te lassabis pondere. 10

Promissa parte, suadet, ut scopulum super

Altis ab astris duram illidat corticem,

Qua comminuta, facile vescatur cibo.

Inducta verbis Aquila, monitis paruit,

Simul et magistrae large diuisit dapem. 15

Sic tuta quae naturae fuerat munere,

Impar duabus occidit tristi nece.

*Armis et consilio.*

Contra potentum vim et impetum nemo satis tutus est. Malus vero si illis a consiliis: quicquid vis et nequitia oppugnat, istud corruere statim necesse est. Aquila testudinem correptam secum sustulit: quae cum durissima cochlea corpus suum abdidisset, nulloque modo potuisset laedi: praeterublans aduenit cornix, et assentitur aquilae: vnguibus certe prae-



praedam tenes, quam rapuisti, opimam. At, nisi monstraerit aliquis, illa quomodo tractanda sit, frustra temet fatigaueris tam graui onere. Parte sibi promissa praedae, raptam, docet, vt frangeretur, e sublimi in scopulum illidendam esse testudinem: sic fore, vt, duriori conquassato munimine, appareat cibus, quo vesci nulla re impedito liceret. Aquilae consilium placuit, quae sceleris felici successu comedit praedam, eiusque partem laeta concessit magistrae. Ita testudo, quae naturae beneficio, aduersus potentum iniurias, satis videbatur esse munita, duarum non potuit euadere insidiis, quin perierit improba nece.

## FAB. VII.

*Muli et Latrones.*

Muli grauati sarcinis ibant duo;  
 Vnus ferebat fiscos cum pecunia,  
 Alter tumentes multo saccos hordeo.  
 Ille onere diues, celsa ceruice eminens,  
 Clarumque collo iactans tintinabulum. §  
 Comes quieto sequitur et placido gradu.  
 Subito Latrones ex insidiis aduolant,  
 Interque caedem ferro Mulum trusitant.  
 Diripiunt nummos, negligunt vile hordeum.  
 Spoliatus igitur casus quum fleret suos: 10  
 Equidem, inquit alter, me contemptum gaudeo.  
 Nam nihil amisi, nec sum laesus vulnere.  
 Hoc argumento tuta est hominum tenuitas.  
 Magnae periculo sunt opes obnoxiae.